

www.e-rara.ch

Pars III

Plutarchi symposiacôn, seu convivalium disputationum liber quartus

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

Itaque circa eum ipsum locum vbi infixus fuit clauus, aiunt vibicem quandam aut nœuū cerni: & non esse alienum à ratione, reliquam carnem manere integram, corruptela eò affluente.

P L V T A R C H I

Symposiacôn, seu Conuiuium
disputationum liber
quartus.



OLYBIVM Africano præcepisse nouimus, Sossi Senecio, ne è foro vnquam digrederetur inter negocia versans ciuium, nisi priùs aliquem sibi amicū fecisset. Amicum autem hæc existimamus non pres-

se aut sophisticè eum intelligendum, qui perpetuus sit & immutabilis: sed cōmuniter beneuolum. quomodo Dicearchus vnumquenq; censēbat dare operam debere, vt omnium benevolentiam sibi conciliaret, amiciciam autem cū bonis iniret. Etenim amicicia multo tempore & per virtutem paratur: benevolentiam vsus, colloquium, & ioci ciuiliū viro- rum alliciūt, opportunitate affectionis animi ab humanitate profecti & gratia adiuuante. Sed vide, an non id præceptum præterquam quod foro accommodatum est, etiam ad conuiuia pertineat: vt non antè sit inde discedendū, quàm vnà accumbentium alicuius benevolentiam & amiciciam fuerimus nati. Nam in forum quidem nos ob negocia nostra aliòsque vsus conferimus: qui sapiunt, in cōuiuium veniunt nō minùs amicorū parandorum, quàm presentes delectandi causa. ideo operā dare aliquid inde vt asportes, illiberale profectò est & importuni hominis: amico auctum abire, iucundum est &

honestum. contraque is qui id facere negligit, ingrati sibi & inutilem facit consuetudinem, itaque discedit, ut qui ventre non animo conuiuia fuerit. Quippe conuiuia non obsonij modo, vini, & bellariorum, sed & sermonum, ioci, comitatis in benevolentiam desinentis particeps futurus venit. Et luctantium quidem complexus atque tractiones puluerem desiderant: amicis apprehensionibus vinum sermone temperatum ansas præbet. vino enim oratio humanitatem & comitatem adiicit, & à corpore in animum quasi per canales deriuat: quod nisi fit, oberrans in corpore vinum, nihil melius repletionem efficit. Ita quemadmodum marmor igne candentis ferri nimiam molliciem & fluxum refrigerando sistens, validum & formabile reddit: sic conuiualis sermo non diffuere omnino patitur vino bibentes: sed inhibet eos, ac dissolutioni humanitatem venustatēque admiscet: si quis bibentes tempestiuè oratione attingat, cum eos vinum quasi sigillo amicitiae formandos quam tenerrimos & mollissimos redegit.

QVAESTIO PRIMA.

Multiplexne cibus, an verò simplex concoctus sit facilius.

Proinde quartæ conuiualium questionum decuriae principium nobis erit quaestio de multiplici cibo. Nam cum ad Elapheboliorum festiuitatem Hyam polin venissemus, Philo medicus conuiuio nos accepit, sane quam operoso apparatu. Ibi cum vidisset Philinum cum adolescente pane solo vesci, aliud requirere nihil: Hercules, inquit, nimirum hoc illud erat quod in proverbio dicitur,

Pugna erat in saxis, neque saxum tollere quibant.
simulque prosiluit, ut aliquid utilis cibi iis adferret: ac multo post rediit, caricas eis & caseum apportans. Tum ego dixissem vsu venire hoc iis qui supervacanea

nea & preciosa apparant, vt negligerent necessariâ
atque vtilia, iisq; carerent: Non enim, inquit, Phi-
lo, memineram Philinum Sostrati nobis exemplum
æmulari, quem nullo alio cibo potuê quàm lacte
vsum ferunt totam vitam exegisse. Verùm huic qui-
dem à mutatione quadam initium huius victus ra-
tionis oblatum fuisse credibile est. Nostrium autem,
quo pacto Achillem Chiron, nutriens iste, statim à
natalibus sanguine carentibus * vt ostendere
videatur, se aëre & rore ali, quod de cicadis fertur,
Nos verò, aiebat Philinus, nesciebamus, vt Hecatō-
phonia qui cœnauissemus (à cæde centum victima-
rum dicta) nunc tali vtendum prandio? nā apud nos
prandia obsonij expertia, tenuia ac salubria, tanquā
medicamentū sunt, quibus ad tam splendidas & co-
pia distentas cœnas vtimur. Idq; eò, quòd sæpe inau-
diuimus multiplici victu simplicem non modò pa-
ratu faciliorem esse, sed etiā concoctū. At hæc Mar-
cio: Corrumperet, inquit, tuum tibi Philinus appa-
ratum, dehortans & deterrens à vescendo conviuas.
Sed si meam operam implores, sponsor iis pro te fi-
deiubeo, multiplicem cibū simplici facilius conco-
qui: vt audacter fruantur appositis. Petiit ergo Phi-
lo à Marcione, hoc vt faceret. At Philinus cœna fi-
nita à nobis provocatus, vt multiplicis cibi aggre-
deretur accusationem: Non meus, inquiebat, hic est
sermo, sed ipsius Philonis. Identidem enim hic dicit
nobis, primū brutā animalia, quia cibis vtuntur
vnius generis, & simplicibus, saniora esse homini-
bus: quæ verò inclusa aluntur, procliuia ad morbum
esse, obnoxiaque cruditati, quòd mixto & condito
vtātur alimento. Deinde nemo fuit medicorum ita
temerarius, aut ad res nouandas audax, vt offerret
febricitanti cibum varium: simplicem & nidoris ex-
pertem, vt concoctionis facile patientem exhibent.
Affici enim oportet alimentum, mutariq; subactum
ab iis quæ insunt nobis facultatibus, Sed & tinctura

simplicium colorū facilius inhæret : & fragrantissimum oleum maximè seplasiariis medicamentis mutatur : & alimentum simplex vniūsq̃ generis facili-
 mē à concoctione adficitur. Multæ autem & variæ qualitates invicem nonnihil cōtrarię, repugnan-
 do sese mutuò abolent (instar multitudinis convenarum ac promiscuæ turbæ in ciuitate) neque consentientem admittunt constitutionē, dum vnaquęvis suapte natura alienis reluctans coitionē respuit. Vinum nobis evidens huius rei indicium suppeditat. celerrimè enim inebriat diuersorum vinorum
 vsus, quas allcenias Græci dicunt. similis autem est ebrietas cruditati à vino non cocto profectæ, idēque vitant mixtum vinum potores : & qui miscent, clam id faciunt, vt qui insidias struāt. Mutatio enim
 & inæqualitas animum de statu suo exturbāt. quam ob rem musci quoque magnam adhibēt cautionem in multitudine neruorum agitanda : quibus nihil præter mixtionē & varietatem mali adest. Ipse hoc
 ausim affirmare, facilius cōtrariis sermonibus fidem ac assensionem parari posse, quàm concoctionem diuersis qualitatibus. Sed ne ludere videar, his omis-
 sis ad Philonis dicta revertor. Eum quippe sæpenu-
 merò dicentem audimus, difficultatem concoctionis alimento accidere à qualitate, dum varia mixtura
 damnosa est, & alienas generat qualitates : itaque oportere vnumquenque id nutrimentum sumere, eoque contentum esse, quod suæ congruere naturæ
 compertum habeat. Quòd si suapte natura nihil est concoctu difficile, sed multitudo est quæ turbat &
 corrumpit : tanto adhuc magis fugienda puto omnigena ista atque varia esse, quibus recens nos Philonis coquus, tanquam domino contrariam artem
 faciens, infecit, nouitate & mutatione appetitū pervertens non renuentem, sed ad alia ductum, obque
 varietatem vltra id quod satis est se proferentē. * aliam ex alia venans capturam, si oblectatæ ani-

mæ * non bibens, & non exsaturatus, plurimus in *
 pratis efflorescit. Hæc Socratis etiam meminisse ex-
 pedit, qui iubeat cauere à cibis qui non esurien-
 tes ad edendum allicerent: nihil aliud nimirū quàm
 5 ciborum multiplicem varietatem vitare mandans.
 Varietas enim est, quæ ultra quàm vsus sit frui nos
 facit spectaculis, auditionibus, re venerea, ludis io-
 cisque, supervacaneis rebus multa initia cupiditati
 fruendi suggerentibus. At in iis voluptatibus, quæ
 10 simplices sunt & vnius modi, naturæ modum oble-
 ctatio non excedit. Denique facilius mihi videtur
 ferri posse musicus qui multitudinem neruorum, &
 alepta qui vnguentorum compositorum vsus lau-
 det, quàm medicus qui ciborum varietatem com-
 15 mendet: vbi mutationes & diverticula de recta ad
 sanitatem via detrudunt. Hæc postquam disseruit
 Philinus, Mihi verò, inquit Marcio, Socratis exse-
 crationi obnoxius videtur non modò qui vtile ab
 honesto segregauit, sed & qui voluptatem à sanita-
 20 te separat, tanquam huic adversantem & inimicam,
 ac non potiùs adiutricem. Etenim dolore, vt instru-
 mento violentissimo, raro admodum idque inviti
 vtimur. de reliquis voluptatem nemo, ne si velit qui
 dem, repudiauerit. Hæc & in nutrimento, & in so-
 25 mno, & in lauacro, & vnctione, & discubitu semper
 adest, laborésque excipit, & ægrum fouet, aliena
 multis convenientibus naturæ delentem. Nam quis
 dolor, quis defectus, quod venenum ita facilè & lim-
 pliciter morbo soluit, vt lauacrum tempestiuè vsur-
 30 patum, aut vinum indigenti datum, vel cibus? hæc
 cum voluptate adhibita statim molestiam omnem
 abolent, naturamque in suum pristinum statum re-
 ponunt, vel vt serenitate & tranquillitate induc-
 ta. Contrà cum dolore coniuncta remedia, ægrè & pau-
 35 latim aliquid efficiunt, naturam cum difficultate
 & violentia quadam molitionis exagitantia. Non
 ergo est, quod nobis vitio vertat Philinus, si non
 amba-

ambabus (quod aiunt) vela manibus attollentes voluptatem fugimus : sed conamur voluptatem cum sanitate concinnius , quàm philosophorum nonnulli cum honestate coniungere. Jam in primo tuo, Philine, argumento falsus mihi videre, bruta animalia simpliciore quàm homines alimento, & sanitate meliore frui ponens. quorum neutrum est verum. Alterum refellunt Eupolidis capræ, alimentum suum prædicantes & à varietate omnisq; generis materia laudantes. sic enim loquentes facit:

*Omnigena nos materies pascit abietis
Teneros, & ilicis, arbutiq; furculos
Decerpimus. tum præter hæc cythifus, boni
Phascusq; odoris, & smilax folio ubere.
Oleaster, & lentiscus, atque fraxinus,
Quercus, edera, erica, myrica, rhamnus, pallidum
Verbascum, & asphodelus, cisthusq; & æsculus,
Thyma, thymbra, nos opibus alunt largè suis.*

quæ enim hæc recensentur, innumeras profectò sapientiorum habent & odorum differentias, atq; virium: *Iliad.* α, 50. cum quidem maior pars sit omissa. Alterū Homerus refutat, qui peritius pronūciat pestē bruta primū invadere. Sed & breuitas vitæ brutorum ostendit quàm sint morbis obnoxia mortiq; vicina. Nullum enim omnino longæum est: nisi fortasse coruum dicat & cornicem, quæ videmus omnis generis cibis vesci. Porro scite nimirum è victus ratione eorum qui agrotant iudicium de facilibus aut difficilibus concoctu petitur: cum labor & exercitationes corporis & cibum incidentia ad concoquendum faciunt, nequaquam autem convenient febricitatibus. Ratione verò caret, quod discordiam & pugnam variorum ciborum metuisti. Nam siue natura id quod ipsi accommodatum est è similibus sumit: in ipsam non enim corporis varium nutrimentum multas à se statim dimittit qualitates, ut cuique parti accideat id quod

quod ei est conducibile: fiatque illud, quod Empedocles docuit.

Dulcia continuò se dulcibus applicuerunt,

Acribus acria se iunxerunt, tristia amaris,

Et rectà calidas petierunt feruida partes.

Siue res secùs habet, tamen calor spiritus mixturam *
dissoluit per eà sese didens, & cognata cognatis applicatur partibus. Corpus enim, quale nostrum est, ita multipliciter mixtum & tam variis coaceruatum è partibus, consentaneum est è varia potiùs materia quàm simplici conquirere suū nutrimentum. Similiter est, & tamen concoctionis ea est natura, vt alteret mutetq; alimentum: in vario id celerius meliusque efficietur. A simili enim nihil afficitur. ipsa pugna & dissidium mixtione contrarij magis mutat elanguescentes qualitates. Tum si omnino mixta, Philine, & varia repudias: non modò cœnā præbenti & cibos adornanti maledicito Philoni: sed multo magis cùm regia ista & auxiliaria miscet medicamenta, quas deorum manus appellauit. Erasistratus quidem stultitiam & supervacaneam eorum damnat diligentiam, qui fossilia, herbas, à feris, è terra & mari depromta confundant remedia: censetq; expedire vt istis omisis, in ptisana, cucurbita, & oleo aqua temperato medicina relinquatur. Atqui (inquis) varietas excitat & allicit quasi præstigiis captam appetentiam, sui ipsius non contentem: nimirum, lepidum caput, mundicies, & stomacho succus congruens, odor bonus, atque omnino suauitas facit vt plus edamus & bibamus. Quare igitur non crassam nos farinam loco pultis subigimus? cur nò pro asparagis githia & scolymos apparamus? quapropter nò vice fragrantis huius & mitis vini è dolio bibimus agrestius, quod culicū circumsonent chori? Quia, diceres, salubris ratio victus non est fuga voluptatis: sed mediocritas & ordo volu-

pratibus adhibitus, quæ appetitum vtilitati mori-
 gerum præbeant. Sicvt autem vehementiorem ven-
 tum gubernatores multis fugiunt artibus: eundem
 vbi posuit & elanguit excitare de integro nemo
 potest. ita non magni est laboris appetentiæ relu-
 ctari, & nimiam reprimere coercendo: præprope-
 rè autem deficientem, & languescentem, officiū-
 que deferentem suum roborare & resuscitare, per-
 graue est, amice, & difficilis res operæ. Ergo præ-
 stat multiplex nutrimentum simplici, & quod ob
 vnicam formam satietatem in propinquo habeat:
 quanto facilius est naturam incitatum inhibere,
 quàm incitare detrectantem. At verò quod non-
 nulli dicunt repletionem defectu magis fugiendam
 esse, verum non est. immò contrà abvndantia tum
 demum nocet, cū in corruptelam aliquam & mor-
 bum definit: indigentia vt maximè nihil inferat ma-
 li, ipsa tamen per se est naturæ aduersa. Atque hæc
 quidem, sunt tanquam neruis contrariis cantata
 aduersus ea quæ tum commentatus fuisti. Id autem
 quodammodo vos fefellit, de his qui dicuntur cir-
 ca salem & cuminum, quod aliud quidem varium
 est, aliud suauius * si nimium auferas. adhæ-
 rescit enim appetenti & accipienti corpori, visu
 viam sternente. Vacuitatem autem appetentiæ * &
 vagum, aut omnino eiicit natura, aut ægrè ob penu-
 riam tolerauit. Id vnum modò memineris, varie-
 tatem non in abyrtacis & candylis & carycas ef-
 se: sed curiosa ista & supervacanea sunt ac inania. Va-
 rietatem verò etiam Plato concessit, præclaris suis
 illis ciuibus bulbos apponens, oleas, olera caseum,
 obsonia omnis generis, atq; adeò ne bel-
 lariis quidem eorum defrau-
 dans cœnas.

QVAESTIO SECVNDA.

Cur tubera videntur à tonitru crescere: & cur creditum est dormientes fulmine non feriri.

COENANTIBVS nobis Elide Agemachus tubera eximæ magnitudinis apposuit. Ibi mirantibus hoc cæteris, quidam subridens, Nimirum, inquit, digna sunt tonitribus nuper auditis: vt qui rideret eos qui è tonitribus oriri tubera putarent. Erât qui dicerent à tonitru terrâ rumpi, quòd aëre tanquam clauo vteretur: tum eos qui tubera quarunt, è rupturis coniecturam vbi sint facere: indèq; opinionem apud multos insinuassee, non monstrari, sed generari tubera à tonitru: perinde ac si quis cochleas putet facere imbrem, non præcedere & indicium eius esse. Agemachus autem rem veram esse contendebat, postulabátque ne quod mirabile esset, ideò fides ei derogaretur. Habent enim, aiebat, multa etiam alia fulmen & tonitru, eorúmque præmonstrationes miracula, quorum aut omnino nequeunt cognosci, aut difficulter intelliguntur causæ. Etenim qui rideri solet, proverbioque materiam dedit bulbus iste, non paruitate sua fulmen effugit, sed quòd vim habet ei adversantem: sicut ficus etià, & vituli marini pellis, vt fertur, atque hyænæ, quibus extremâ velorum inducunt nauicularij. Aquas etiam quæ inter fulgura decidunt, agricolæ & putant esse & nominant incrementis idoneas. Atque omnino stultum est ista mirari, cum in istis rebus ea videamus evenire, quæ omnium minimè sunt credibilia: scilicet ex humido flammam emicare, è mollibus nubibus asperos sonitus edi. Hæc ego, aiebat, nugor, vos ad causæ indagationem exhortans, ne videar morosus, dum pro tuberibus symbola exigo. Tum ego ita sum locutus: Videtur mihi Agemachus ipse dextram porrexisse disputationi. Nihil

enim in præsentia videtur probabilius, quàm inter
 tonandum multum aquæ genitabilis decidere. Cau-
 sa est admixtio caloris. Nam ignis quod est acutum
 & purum, id in fulgur abit. pars verò grauior & spi-
 ritu prædita involuta in nube, eam mutat, ac frigore
 expulso humorem tepefacit: vnde aqua admodum
 lenis incidit in stirpes, & mox crassescendi causa
 est. Sed & peculiarem temperiem, saporémque pecu-
 liarem ista complutis aqua infert. quo pacto & ros
 suauius pecori pabulum redigit, & arcus cœlestis in
 qua nube elucet, ea soluta lignis fragrantia pluri-
 mum inserit. eóque indicio fisci nostri sacerdotes ista
 cremant, in quæ nubem iridis putant defluxisse.
 Multo autem magis probabile est fulguralibus &
 fulminalibus aquis, spiritibus, & caloribus altè pe-
 netrantibus terram converti, itaque laxari & hiare,
 quomodo calores quidam & humores sanguinei in
 corpore tubercula glandosa & strumas efficiunt.
 Non enim videtur * quia tuber neque sine aqua
 generatur, sed radicibus caret, & * adhuc & solu-
 tum ex sese subsistit, terra aliquomodo affecta & mu-
 tata. Quòd si vobis hæc ratio videtur exilis: talia ta-
 men sunt pleraque tonitrubus & fulminibus comi-
 tantia: itaque hisce affectionibus maximè opinio quæ
 dam diuinitatis adest. Aderat tum vnà rhetor Do-
 rotheus. Is, rectè, inquit, dicis. Non enim duntaxat
 vulgo & indoctis ea est, sed etiam quibusdam philo-
 sophis opinio. Ipse memini apud nos fulmen inci-
 disse in domum, & multa mirabilia fecisse. nam & vi-
 num è doliis illæsis consumsit: & hominè dormien-
 tem transvolauit, neque ipsum lædens, neque vestè tan-
 gens: & cinguli æs, quo obductum erat, colliquauit. *

* * *

omne & confudit. Philosophum autem Pythago-
 ricum, qui tum ibi peregrinabatur, accedens causam
 quæsiuit. is autè abominatus rem, ipsum pro se ius-
 sit dispicere, ac diis vota facere. Audio etià fulmen
 prope

prope militem, qui templum Romę custodiebat, de-
cidisse, calceorũq; advstis loris, nullum aliud ma-
leficium intulisse. & cùm argentei caliculi in ligneis
repositi essent operculis, ligno incolumi argentum
colliquatum fuisse inventum. Hęc vel credas licet,
vel non credas. Id omnium maximè mirũ est, quod
omnes ferè compertum habemus, corpora de cœlo
ractorũ putredinis expertia perdurare. multi enim
ea neq; cremant, neq; defodiunt, sed sępimento cir-
cundata relinquunt: vt videantur perpetuò putre-
dinis vacua, & Euripideam Clymenen refellāt, quę
de Phaëthonte dicit, —*carus ille nunc mihi*

Aliqua in conualle computrescit mortuus.

Sulfur quoq; theon inde puto nominatum, ob simi-
litudinem odoris ignei & acris, quem edunt icta ful-
mine corpora: ob quem puto canes etiam auésq; ab-
stinere cadaueribus fulmine percussorum. Huc vsq;
enim causam, vt etiam lauri, dixero. Reliqua hũc iũ-
beo dicere, qui in tuberibus probè est versatus: ne
idem nobis accidat atq; Androcydi, cuius inter om-
nia opera laudem obtinuerunt pisces circa Scyllam
picti. creditũsq; est, vt qui impensè piscibus delecta-
retur, magis hac animi adfectione, quàm arte ibi fuiss-
e vsus: ne inquam nos quoq; aliquis dicat volupta-
te inductos de tuberibus disputare, quorum (vt vi-
des) controversa est generatio. In his, cùm probabi-
litate videretur satis inesse dictis, & causa nõ in ob-
scuro latere: egoq; monerem tempestiuum nõ esse,
vt quemadmodũ in comœdia suo tempore machi-
na tollitur, & tonitrua eduntur, ita hęc etiam in con-
viuium nos de fulminibus disputationem introdu-
ceremus: in id consensere, vt reliqua omitterentur:
de causa tamen, ob quam dormientes fulmine non
ferirentur, audire se aliquid percipere ostenderũt.
Ego tametsi nihil proficerem causa attingenda, cu-
ius communis est ratio, tamè ita ferè dixi. Fulminis
ignis mirabili est subtilitate atq; tenuitate, quā sta-

tim à prima origine habet ex pura & sincera substantia: & quidquid ei humidum aut terrestre admiscetur, id sui motus celeritate excutit atque expurgat. Nihil quidem de cœlo tactum, ut ait Democritus * * ferre sub puro æthere * iubar. Proinde corpora densa, ut æs, ut argentum, & horum similia, fulmen excipiunt, corrumpunturq; & liquecunt eò quòd repugnant atq; resistunt. At per rara, multis hiantiaq; meatibus oblaxitatem eorū sine tactu discurrit fulmen, ut per vestes & arida ligna. idem viridia vrit, arreptum ab humore, eòq; incenso. Ergo si verum, dormientes fulmine haud necari, hæc quærēda est causa, non alibi. Magis enim firma sunt, & solida, atq; resistunt corpora vigilantium, utpote omnibus partibus spiritu oppletis: quo etiam sensus intendente tanquam in instrumento & constringente, validum sit & secum continens densumque animal. Idem corpus in somnis laxatur, rarum fit & inæquale, imbecillum, ac diffusum, multisq; referatur meatibus, spiritu remittente ac deferente: vnde etiam voces odorésq; excurrunt nullo sui sensu præbito. Quod enim renititur, renitēdòq; patitur, non occurrit iis quæ offeruntur: minimè autem iis, quæ ob tenuitatem & celeritatem talem, qualis est fulminis, dissipantur. Nam quæ minùs sunt valida, ea munit natura duricie aliqua aut densitate, ut non facile patiantur. quarum verò inexpugnabilis est vis, ab his minus læduntur quæ cedunt, quàm quæ resistunt. Huc accedit consternatio, quæ fulminibus ingruentibus incessit, ac metus & pavor: ob quæ multi nihil aliud passi, mortem metuendo sunt mortui. Itaq; tonitruo oborto pastores condocefaciunt pecus, ut in vnum concurrant, seq; invicem applicant. nam quæ palant à reliquis avulsæ oves, abortum faciunt. Et innumeros videre est mortuos tonitru, in quibus nullum ictus aut aduersionis appareret vestigium: quòd nimirum præ metu anima eorum

rum è corpore auis instar evolasset. multos enim exanimauit ventus tonitruui, vt ait Euripides. Nam aliàs quoque de omnibus sensibus auditus facillimè afficitur, perturbationésq; & metus à strepitu orti, quammaximè animum exagitant: contra quos dormienti stupor præsidio est. Vigilantes cùm præsentione exanimantur, tū metu corpus re vera constringente & densante, ictū resistendo faciunt validiorè.

QVAESTIO TERTIA.

Cur in nuptiis plurimi ad cœnam vocantur.

IN nuptiis Autobuli filij aderat vnà in festiuitate Sosius Senecio, Chæronea ad nos profectus, vnà cum multis aliis, qui eam sua exornabant præsentia * ansas etiam de * cur plures quàm aliàs sit ad cœnam invitarentur nuptialem, disquirendum proposuit. etenim legumlatores eos, qui omni conatu luxum impugnarent, maximè numerum definiuisse eorum qui ad nuptias vocarentur. Hecataeus quidem, aiebat, Abderita, vnus de antiquis philosophis, meo iudicio nihil probabile dixit. scilicet sponsum ad nuptias multos vocare, vt multos habeant conscios atque testes liberum se liberam, ingenuum ingenuam duxisse. Contrà enim Comici eos qui splendide & sumtuosas faciunt nuptias, parum eas firmas & fidas introducunt facientes. vt Menander ad eum, qui iubebat ollis circumvallare * non facinus sponsæ refers. Sed tamen ne * alios reprehendere videamur, ipsi nihil interim pronunciantes. Hac primus ego: Nullius, inquam, conuiuij causa ita manifesta, ita celebris est, vt nuptiarum. Nam & rem sacram diis facere, & amicis discessurum excipere cõuiuio, aut peregrè venientem licet, ignorantibus hoc necessariorum multis. Nuptialis autem mensa indicem habet hymenæum alta voce inclamantem, & facem, ac tibiam, quæ Homerus ait

mulieribus ad fores stantibus esse admirationi. itaque cum nemo ignoret conviuium agitari, verecundia ducti omnes necessarios, familiares, & quocunque tandem pacto sibi coniunctos invitant. Probatibus id reliquis, Theo sermonis in partem succedens: Esto, inquit, hæc: non enim abludunt à vero. Sed, si placet, id adde, huiusmodi convivia non amicorum tantum esse, sed & ad cognatos pertinere, ad finitatem alterius familiæ in gentem adscita. Ac quod plus habet momenti, duabus in vnam coeuntibus familiam, cum accipiens datis familiares & amicos, tum dans accipientis existimans sibi comiter demerendos, duplicem conviuarum faciunt numerum. Denique cum multa, adeoque pleraque in nuptiis mulieres peragant: ubi adsunt mulieres, necesse est etiam viros adhiberi.

QVAESTIO QVARTA.

Utrum mare an terra obsonio præbendo præstet.

GALEPSVS Eubææ, ubi thermæ sunt, locus est natura ita factus, ut multa habeat ad voluptates liberales conducentia. itaque est cœnaculis & conclauibus exædificatus, ut quasi pro communi totius Græciæ refectorio vsurpetur. Ibi cum & terrestria multa capiantur animalia, & volucra, non minus mare annonam mensæ commodam suppeditat, in locis puris marique ponere littus profundo multos bonosque alens pisces. Maxime autem is locus frequentatur vere vigente. Multi enim tunc eò conveniunt, mutuæque vtuntur in omnium copia rerum consuetudine, & per ocium plurima de rebus ad humanitatem pertinentibus agitant colloquia. Cum autem ibi degeret sophista Callisthenes, difficile erat alibi cœnare. Erat enim comitas eius tanta, ut denegare invitanti nemo posset: & id iucundissimum, quod omnes elegantes solebat in unum locum congregare.

Sæpe-

Sæpenerò quidem imitabatur Cimonem de antiquis, multos omnisq; generis convivas amicè ad cœnam vocans. plerunq; tamen Celeum, quem primum narrant nobilium ac bonorum virorum instituisse quotidianum conventum, idq; Prytaneū appellasse. Identidem autem huiusmodi convenientes cœtibus sermones sunt habiti. Evenit aliquando, ut maiorem in modum varij apppositi cibi occasionem præberent quærendi de obsoniis, terræne an mare ea suppeditaret commodiora. Ibi cum reliqui ferè omnes terrestria laudarent, multa, omnigena, & innumera generum ac discriminum varietate abundantia: Symmachum Polycrates compellans, Tu verò, inquit, animal bimare, totq; innutrite maribus, quæ
 15 sacram apud vos ambiunt Nicopolin, non defendis Neptunum? Equidem volo, respondit, Symmachus, tēq; mihi adiutorem advoco, qui iucundissima Achaici maris parte frueris. Enimverò, inquit Polycrates, à consuetudine ordiemur. Sicut enim de multis
 20 poëtis vnum qui reliquis præstat eximio nomine poëtæ afficimus: ita cum multa sint obsonia, piscis tamen obtinuit, ut vel solus vel præcipuè piscis obsonium appellaretur, quia virtute reliquis omnibus multò antecellat. Nam obsonivoros & obsoniorum
 25 cupidos vocamus, non qui bubulis carnibus delectantur, ut Hercules, qui post carnem virides ficus edit: non qui ficubus, ut Plato: non qui vuīs, ut Arcefilaus: sed qui subinde in foro piscario versantur, & tintinnabulum celeriter exaudiunt. Et Philocra-
 30 tem Demosthenes auro proditiōe parto scorta & pisces emere dicens, gulæ studium ac libidinem homini exprobrauit. Ac nō ineptè Ctesiphon quodam obsonivoro in senatu vociferāte, Crepabo medius: Nequaquam, inquit, nos piscium escam facias. Iam
 35 qui versiculum huncce fecit,

*Ad capparim vivis, cum liceat ad anthiam,
 quid sibi voluit? Quid, bone Iupiter, volunt sibi, qui*
 qqq iij

ad oblectationem se mutuò invitantes dicunt, hodie in acta cœnabimus? nōne quòd in littore cœnam, vt est, suauissimam esse sentiunt? non quidem propter fluctus aut lapillos (quis enim in littore lecythum & capparin mensæ adhibeat?) sed quòd copiosi ac recentes pisces mensam sint instructuri. Adde quòd omnium aliorum obsoniorum precium exceditur à marino. Cato sanè non vltra modum, sed verè dicendo invehens in luxum vrbs dixit, Pluris vendi piscem quàm bouem. Testem enim piscium plenam tanti vendunt, quantum vix redimatur centum ouibus & vno boue capitis loco præcedente (quod fuit sacrificij solennis genus) mactatis. Porro vt de medicamentis medicus optimè, de cantu musicus iudicat: sic etià de obsoniorum præstantia is, qui impendio iis studet. Non enim Pythagora hæc arbitro vtemur aut Xenocrate: sed Antagora poëta, & Philoxeno Eryxidis F. & Androcyde pictore: quem aiunt cum Scyllam pingeret, pisces circa eam ad viuum vsq; studiosissimè expinxisse, quòd obsoniis esset deditus. Antagoræ autem poëtæ in castris congros elixanti atque accincto superueuiens Antigonus rex, putàsne (inquit) Homerum congros coquentem Agamemnonis res gestas descripsisse? & ille nō ineptè respondit: Tu verò putas Agamemnonem res istas gessisse, curiosè inquirendo quis in castris congros elixaret? Hæc, inquit Polycrates, ego pro piscium patrocinio attuli, fretus & testimonio pisces vendentium, & consuetudine. Ego verò, ait Symmachus, seriò rem, ac magis dialecticè aggrediar. Nam si id est obsonium, quod cibum reddit suauiore: utiq; optimū id fuerit obsonium, quod maximè detinere appetitum in cibo valet. Ergo sic vt philosophi, qui à spe quam vnicè prædicabant, Elpistici dicti sunt, nihil esse pronunciauerūt quod vitæ tam magis cōtineat atq; spes, qua nō cōdiente eam vita sit intolerabilis: ita etià ad alimentum id ponemus

mus appetitū continere, sine quo id planè ingratum
 & incommodum sit futurū. At eorum quæ terra sug-
 gerit, nihil tale invenies. mare verò salem suppedi-
 tat. Primū absq; sale nihil omnino est esui, qui ad-
 mixtus ipsum etiam panem condit. Itaq; eodem in
 fano Neptunus & Ceres habentur. Deinde reliquis
 obsoniis sales dulcius sunt obsonium. Nam heroēs
 tenui & frugali vſi & exercitatione adſueti victui,
 omnēmque adſciticiam & ocioſam voluptatem à
 menſis arcenſes ſuis, ita quidem vt caſtris ad Helle-
 ſpontum poſitis, tamen piſcibus abſtinerent: carnes
 nihilominus abſq; ſale edere non ſuſtinuerunt: te-
 ſtantes id ſolum obſonium repudiari non poſſe. Vt
 enim colores lumine, ita ſapores ſale opus habent
 vt ſenſum adſciant. *, niſi graues iis & moleſti acci-
 dant. Cadauera enim magis ſunt eiicienda quàm fi-
 mus, aiebat Heracleſus. Omnis verò caro mortua
 eſt, & cadaueris pars: ſalis autem viſ tanquam anima
 ſuperueniens, gratiam ei ac voluptatem conciliat.
 Itaque etiam acria & ſalfa ante cibum ſumunt, & om-
 nino quibus plurimum ſalis adeſt. hæc enim alliciūt
 appetitum ad alia obſonia, hiſq; ille delinitus ad re-
 liqua alacris recenſq; ſe confert. ſi verò ab aliis inci-
 piat, mox elanguēſcit. Non ad cibum proinde dun-
 taxat, ſed ad potum quoque condimenti vim ſales
 habent. Homericæ enim illa cepa potus condimen-
 tum, nautis potiùs & remigibus quàm regibus con-
 veniebat. Qui verò cibi mediocrem ſalfuginem, ob
 conſenſum cum ore ventriculi, vini omne genus gu-
 ſtu ſuaue & mite reddunt, omnem aquam gratam
 potu. Tum earum quas cepa adfert moleſtiarum ni-
 hil adeſt ſali. quin & digerit reliquos cibos, mollior-
 eſque & obſequentiores concoctioni reddit: vt &
 condimenti gratiam, & vim medicamenti ſales cor-
 pori conferant. Cæterum marina obſonia reliqua
 præterquam quòd ſunt ſuauiſſima, maximè etiam
 ſunt innoxia. nam & carnoſa ſunt, & non perinde vt

Iliad. 2, 629.

carnes grauant, sed facillè concoquantur & digeruntur. Testimonium mihi perhibebunt Zeno hic, atq; etiam me hercle Crato, qui ægrotantes ante omnes alios cibos ad piscem ablegant, vt leuissimum. Nec caret ratione mare saluberrima & elaborata corporibus alimenta gignere: quando etiam nobis aërem tenuitate & puritate commodum edit. Rectè ais, inquit Lamprias: sed aliquid præterea de hac re commentemur. Solebat auus meus identidem dicere Iudæos subsannans, Eos à iustissima carne abstinere. Nos autem dicemus iustissimum esse obsoniū quod è mari petitur. Nam vt cum terrestribus nullum aliud ius nobis intercedat, saltem iisdem aluntur rebus, aëremque, lauacra, potum indidem vnde nos hauriunt, & pudorem iugulata incutiunt miserabili voce: tum pleraque nobis familiaria convictu facimus. Marinum verò omnino à nobis alienum est genus, & quasi in alio mundo natum educatūque viuit: neque vox vlla, aut adspectus, aut ministerium ab eorum cæde nos revocat. nullus enim nobis vfus est eius animalis, quod ne viuut quidem apud nos: neq; vllō nobis amore erga illud opus est. Sed quē nos incolimus locum, ipsis est tanquam orcus. nam in eum simul atq; pervenere, moriuntur.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum suam venerantes Iudæi, aut potius auersantes, carne eius abstineant.

HÆ c cū essent dicta, & quidam in diuersam partem disputare intendissent: Callistratus eorum sermonem profligans, Quomodo, inquit, vobis dictum vrdetur in Iudæos, Iustissima eos carne abstinere. Præclare admodum, aiebat Polycrates. Ego quidem vehementer dubito, vtrum Iudæi in honorem porci, aut quod animal illud abominentur, esu carniū suillarū sese abstineāt. Nam quæ apud ipsos dicuntur,

dicuntur, fabularum sunt similia. nisi fortasse habent
 serias quasdam rationes, quas non efferunt. Ego ita-
 que, aiebat Callistratus, arbitror id animal in aliquo
 apud istam gētem esse honore. Porcus deformis est. *
 quid tum postea? est etiam fœdus. tamen cantharo,
 gryphe, crocodilo, fele turpior non est, aut natura
 ineptior: quorum alia ab aliis Aegyptiorum sacer-
 dotum sanctissimis coluntur. Quod autem sui par-
 citur, isq; in honore habetur, non caret ratione. Pri-
 ma enim sus (vt aiunt) rostro terram findens, vesti-
 gium arationis impressit, ac vomeris opus submon-
 strauit: quem hynin inde dictum sunt qui putent.
 Iam Aegyptij qui cauam & mollem incolunt regio-
 nem, omnino etiam aratri vsum non admittunt: sed
 postquam Nilus eluuię suę solum rigauit, eum sub-
 sequentes, suę in agros depellunt. eę verò calcan-
 da ac fodienda tellure celeriter eam altè subvertūt,
 semēnq; occulunt. Neq; rapi in admirationem hoc
 debet, si sunt qui hac de causā suum esu abstinēt:
 cū apud barbaros alia animalia in maiore sint ho-
 nore ob causas viliores, aut etiam planè ridiculas.
 Nam murem araneum (si quidem is mygale est) di-
 uinos reperisse honores aiunt apud Aegyptios pro-
 pter cæcitatem: quòd tenebras luce antiquiores ij
 arbitrentur: eamque è muribus nasci quinta ætate,
 in nouilunio: atque iecur eius deminui lumine Lu-
 nę deficiente. Leonem verò Soli dedicant, quòd de
 curui vnguibus quadrupedibus sola læna vidētē
 edat fetum, quòd momento temporis dormiat, ocu-
 lique dormientis suffulgeant. & quod Leontini fon-
 tes & hiatus suos noua aqua repletos inveniunt, Ni-
 lo exvndante quando Sol per Leonem transit. Ibi
 ferunt recēns ex ouo exclusam duas appendere
 drachmas: quantum etiam recēns nati infantis cor
 appendit. Ibis quoque pedum diductione, eorum in
 ter se & cum rostro comparatione, triangulum re-
 præsentat æquilaterum. Et quis tandem has culpet

Aegyptiorum ineptias: cùm memoria proditum sit
 Pythagoricos quoque album venerari gallum: & de
 marinis nullo maximè vrticâque abstinere. magos
 autem, qui à Zoroastre descendunt, terrestrem echi
 num quàm maximè venerari, mures aquatiles odif- 5
 se, diisq; carum & beatum iudicare eum qui pluri-
 mos interfecerit. Existimo autem Iudæos, si abomi-
 narentur porcum, interfecturos eum fuisse, sicut mu-
 res necant magi. Nunc tam interficere, quàm edere
 suam iis est religio. Et fortassis rationi hoc consen- 10
 tit, sicut asino suus est apud eos honor, qui fontem
 aquæ eis demonstraui: ita suam eos revereri, vt sa-
 tionis & arationis magistrum. Nisi fortè etiam lepo-
 rum esu abstinere Iudæos dicendum putemus, quod 15
 * vt pollutos & impuros auersentur. neque * sermo-
 * nem excipiens Lamprias: sed leporis quidem * pro-
 pter * * bestia similima. Videtur enim lepus ma-
 gnitudo & celeritate sentiendi instrumentorum
 pollere. nam & color, & aures, & nitor oculorum, &
 falsum mirabiliter convenit: vt nihil omnino tam 20
 paruum tam magno sit, ad formam quod attinet, si-
 mile. Nisi me hercle etiam ob similitudines æmu-
 latione Aegyptiorum ducti, velocitatem animalis
 diuinam reputant, itémque sensus instrumentorum
 subtilitatem. Nam leporum oculi adeò sunt indefef- 25
 si, vt etiam apertis iis dormiant. Celeritate autem
 exaudiendi videtur aliis anteire. cuius admiratione
 ducti Aegyptij in suis sacris litteris picto lepore au-
 ditum significant. Suillam autem carnem Iudæi ab-
 * ominari * quod maximè barbari abhorrent à viti- 30
 liginibus & lepra, quas putant esu harum carni-
 um adscisci. Etenim videmus suam sub ventre plenum
 esse lepra & scabiosis malignè pustulis: quæ sanè exi-
 stimantur à praua corporis affectione & corruptela
 eorum quæ intus sunt in superficiem erumpere. Por- 35
 rò autem suis victus ita turbidus & immundus non
 caret vitio. nullum enim animal videmus ita gaude-
 re cœ-

re cœno ac sordidis impurisque locis. etiam si non
 ineamus rationem ortus & naturæ quam in sese ha-
 bent. Oculi etiam porcorum ita dicuntur confra-
 cti, & humi defixi, vt nihil eorum vnquam cernant,
 quæ supernè sunt, neque in cœlum intueantur: nisi
 supini contra naturam facti pupillas fursum obser-
 vant. ideóque animal hoc, aliàs clamorissimum, vbi
 supinatum fuerit, tacere attonitum insolenti conspe-
 ctu cœli, maiorique metu vociferationem eius repri-
 mi putant. Si verò fabulosa etiam licet huc adferre:
 fertur Adonis à sue interfectus. Adonis autem idem
 cum Baccho esse creditur: & multa peraguntur in
 vtriusque sacrificiis, quæ fidem faciant huic senten-
 tiæ. Alij Adonidem fuisse amasium Bacchi autumât.
 15 & versus est in hunc sensum Phanoclis, amoris dedi-
 ti hominis:

*Per montes errans diuum cùm nosset Adonis,
 Cyprida consectans egregiam, rapuit.*

0 Hæc Symmachus admiratus admodum ea quæ erant
 dicta, An tu, inquit, gentilem nostrum deum ô Lam-
 pria, Euium & excitatorem mulierum dictum, & cu-
 ius gloria insanientium floreat honoribus, Ebræo-
 rum mysteriis transcribis atque adoptas? aut reve-
 25 ra est ratio quædam, quæ Adonidem cum Baccho
 eundem esse demonstret? Mœragenes autem suc-
 currens: Fac, ait, hunc missum. Ego, qui Athenien-
 sis sum, respondeo tibi ac dico, diuersos neutiquam
 esse. Et quidem pleraque huc pertinentia argumen-
 30 ta, iis duntaxat nota sunt & dici fas est, qui Triete-
 ricam (seu triennalem) apud nos Panteldan (perfe-
 ctum nimirum numinis cultum) initiati tenent. Quæ
 verò edisserere inter amicos nulla religio prohibet,
 maximè apud vinum & dona Bacchi, ea, si isti iubêt,
 35 paratus sum proferre. Cùm iuberent & flagitarent
 omnes: Primum, inquit, maximæ & perfectissimæ
 Iudæorum solēnitatis & tempus & modus cum Bac-

chil factis congruit. Quod enim ipsi vocant Ieiuniū,
 id sic celebrant, vt maximè feruente vindemia pro-
 ponant mensas in quibus expositæ sint omnis gene-
 ris fruges: & sub tabernaculis desident, potissimū
 è palmitibus & edera quæ contextuntur: & diē quæ
 festum antecedit, Tabernaculariam nominant. Pau-
 cis verò pōst diebus aliam festiuitatem nō obscurē,
 sed omnino apertē Baccho nuncupatam celebrant.
 Est etiā solenne apud eos festum cradephoria à pal-
 mitibus gestandis, & thyrsophoria, vrbi thyrsos ge-
 stantes in templum intrant. quid intus faciant, igno-
 ro: credibile est Bacchi ab iis sacra peragi. nam & tu-
 bis exiguis, sicut Argiui Bacchanalibus, vtūtur ad e-
 uocationem numinis: & alij progrediuntur citha-
 ris ludentes, quos ipsi Leuitas appellant, siue à Ly-
 sio, siue ab Euio (vtraq; vox Baccho congruit) ita di-
 ctos. Opinor etiam sabbatorum ferias non planē à
 Baccho esse alienas. Quod enim Sabbos etiamnum
 multi Bacchos appellent, eamque edāt vocem dum
 orgia Bacchi celebrant * licet & è Demosthene o-
 stendere, & è Menandro, & non de * aliquis fortē
 dixerit, factum esse ob asebesim, id est impietatem,
 qua tenentur bacchantes. Ipsi autem huic sermoni
 testimonium dicunt. sabbatum enim colentes, maxi-
 mē ad bibendum & ebrietatem invicem sese inuitāt:
 aut si qua grauior res obster, omnino quidem gusta-
 re merum in more habent. Has fortasse aliquis esse
 coniecturas asserat. Sed alia sunt argumēta, quæ pla-
 nē nostram demonstrant sententiam. Primū enim
 * arguit hoc pontifex maximus, qui festis diebus mi-
 tratus ingreditur, hinnuli pellem auro contextam
 indutus, tunicāque ad talos pertinentem gestans,
 & cothurnos. multa autem tintinnabula dependent
 de veste, quæ inter ambulandum strēpitum edunt,
 vt & apud nos. Sonitibus autem nunc vtuntur in
 * sacrificiis, & æratas dei nutrices appellant, monstra-
 tūq; in aduersis sublimi thyrsus expressus, & tym-
 pana.

pana. quæ sanè non alij deo , quàm Baccho conveniunt. Porro autem mel sacrificiis non adhibent: quòd de ius admixtione vinum corrumpi videatur, eoque libabatur & ebrietas parabatur antequam vitis exstitisset. & hodièque barbari qui vino carent, mulsu bibunt, dulcedinem radicibus austeris & vini saporem æmulatibus medicantes. ac Græci Nephalia, id est sobria, hæc & libationes melleas diis offerunt: quòd vino maximè adversam naturam mel habeat. Bacchum verò à Iudæis coli, id quoque argumento nō leui est, quòd inter multas pœnarum formas vna maximè odiosa est, qua vino interdicitur damnatis ad certum tempus, quod à iudice præscribitur. qui autem sic puni- *

Desunt reliqua huius libri. Exstant autem capitulum indices, quos subiungo.

QVAESTIO SEXTA.

Quis apud Iudæos deus.

QVAESTIO SEPTIMA.

Cur dies planetis cognomines, non secundum illorum ordinem, sed inversè numerant. in qua etiam de ordine clavorum.

QVAESTIO OCTAVA.

Cur annulos potissimū in digito gestant, qui medio proximus est.

QVAESTIO NONA.

In sigillis deorumne, an sapientum virorum gerende imagines.

QVAESTIO DECIMA.

Cur mediu lactuce à mulieribus non comedatur.